

III.

NEOVIDENSIS

Nro 51. (*Neovidensis* Nro 74.)

Secretum litterarum commercium vivos inter ac mortuos.

Epistola ad Deam Fortunam data ex Mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 25. Sept. 1804. (Neov. 11. Sept.)

A longo jam tempore justam depromit orbis terrarum querelam, Deam Fortunam sua pertinacia homines persequi, suosque favores, sine discrimine, & consideratione, meritorum plerumque indignis conferre. Semper sunt bona mixta malis, Fortuna, & infortunium, sapientia, & stultitia, virtus, & vitium, commoda, & incommoda mutabili rationevolvuntur. In omni statu obtinet hæc mutatio. Nec de felicissimis dici potest eos esse omni ex parte beatos. Quo magis afficit hominem felicitas a longinquo spectata, eo majori est dolori absentia, si præsertim tali obtingat, qui eam minime est meritus.

Licetne benevola Dea Fortuna! absque tui offensa quæstionem proponere? quæstionem, quæ Philosophos æque ac sanctos, jam diu fatigat, ausimne cum infortunatis quærere? Quid causæ, quod honesti homines minus prospera utantur fortuna, atque inhonesti? Quid sibi vult hæc interrogatio?

Ponamus casum, qui non existit, sit quæpiam natio, quæ aperte declaret, certam aliquam felicitatem non posse alium obtinere, quam qui virtute, & probitate non fucata fuerit instructus, qui vero hac vitæ integritate caruerit, eum illius boni nunquam futurum participem. Ut hujusmodi constitutio rite detur effectui, oportet adesse virum divino, si ita loqui fas est, præditum oculo, qui aliorum interna possit perscrutari. Quot homines improbi, qui modo prosperitatibus affluunt, in acerbis viverent calamitatibus? At nemo uspiam gentium est, qui tali polleret perspicacia, inde fit, ut honesti homines non agant vitam semper omni felicitatis genere cumulata. Ex doctrina quidem Christiana sci-
mus Deum esse omniscium, qui una præcipit, ut in veram felicitatem honestate morum inquiramus; Verum omniscientia, & omnipotentia divina non statim, ut homines peccant, eosdem æternis addicit ignibus, plerumque digna eorum factis animad-

versio in futuram differtur vitam, hinc sæpe scelestis etiam nihil deest in hac vita ad felicitatem.

Gravissime hallucinantur, qui asserunt consecrationem honestatis in præsentem morum corruptela difficiliorem esse licentia vitæ, quod nullam adferat externam prosperitatem, & ideo a multis esse repudiatam; Nam quilibet ad officia, quæ aliis ut amicus, ut Pater, ut civis præstat, obstrictus est, tenetur ea implere, nisi velit vinculum naturæ, societatis, & bonorum morum proterere, ac conculcare. Vehemens propensio, amor ordinis, moralis obligatio hoc naturale vinculum firmiter adhuc efficiunt, ut homo reapse virtuti deditus, absque labore, & conatu officii sui admoneatur. Sed etiam virtutes, quæ eminentiores sunt, & majori indigent consideratione, uti est amor patriæ, reverentia Parentibus debita, temperantia, obligamur exercere vel ex officio erga societatem, vel erga nosmet ipsos. Pessima aliorum hominum exempla non possunt nos ab hoc onere eximere; Tenemur quidem nostram perfectionem promovere, sed non cum injuria aliorum, semper enim delinquit in genus humanum, qui, ut sibi bene sit, nihil pensi ducit alios opprimere.

Audi, o Fortuna! quomodo a mortalibus depingaris. Dicunt te esse levem,

cæcam, ancipitem, inconstantem, incertam, mutabilem, & faultricem indignorum; Omnia putantur a te proficisci, tibi uni & lucrum, & damnum adscribitur. Edissere, verane sunt, quæ proferuntur? De nulla alia re illi magis convicti sunt, quam de sententia: Omnem honestum dignum esse felicitate. Sed si media, per quæ tendunt ad felicitatem, penitius examinemus, videntur ne vestigium quidem honestatis habere. Modus quem arripiunt perveniendi ad divitias, honores, aliaque bona fortunæ, est versutus, & fallax, atque sæpe principii probitatis repugnans. Nihil morantur, etiamsi milleni cum miseris confluentur, dummodo illi suas facultates augeant; Nullum adeo inhonestum est remedium, quod non ambabus amplecterentur ulnis, ut eo facilius alieno potiantur bono; Sæpe simulationem honestatis assumunt pro tegumento, quo suam turpem habendi cupiditatem cooperiant; Nullam norunt tam arduam factionem, quam non adhiberent, ut honestum virum in suspicionem adducant, rebusque omnibus spoliatum ad mendicitatem redigant. Honestum durat diutissime. Hæc propositio abiit in proverbium, quam communis experientia confirmavit. Perlustremus tantisper honestate imbutos, qui nullo unquam illicito in rem suam usi sunt medio, & illico deprehendemus, eos non esse ad magnam felicitatem eluctatos.

Tua potestas, mobilissima, levissima-
que Fortuna! non est inenodabile arca-
num; Ex hac materia rite perpensa non
est reliquum merum dubium, & incertitu-
do? Quamvis enim valde sit limitatus in-
tellectus humanus, & opiniones de hoc
objecto in plerorumque mentibus invetera-
verint, attamen facta fortunatorum nota
sunt probis, ut fere quemlibet fortunæ fili-
um possint indice designare, eidemque to-
tam seriem vaferrimæ felicitatis, ob oculos
ponere.

Sed, o Fortuna! Quanta est tua ef-
ficacitas in conciliandis matrimoniis? Quem-
admodum olim decantata Aurora fortuna
multis hominibus imposuit, ita modo in con-
jugiis, quæ quotidie ineuntur, id intendi-
tur, ut contrahentes felicitatem assequantur.
Ante me habeo opusculum, quod rem
hanc egregie illustrat, & quam Contra-
dictor jam fusius explicuit. Quantum po-
test efficere apud homines solum categori-
cum imperium, quantum, si accedat desi-
derium felicitatis, quantum venusta forma?

Omnibus viribus eo eniti, ut quis quam
ocysime talem statum amplectatur, in quo
non solum vitæ tolerandæ subsidia habeat,
sed etiam perpetuam vitæ societatem, in-
tellego, nuptias, contrahat, in certis qui-
busdam circumstantiis non est actio mora-

liter indifferens, verum præcepta. Forte enim evenit, ut quispiam se ad succurrendum pauperibus suis parentibus stringi animadvertat, qui forsitan ejus plane causa, vel per illum ad incitas redacti sunt: Jam autem sit sponsa determinata, vel non, talis tamen persona, erga quam ille, licet ingens patrimonium adferret, non sentit tamen peculiarem interni amoris teneritudinem, vel quod eidem natura venustatem, & corporis pulchritudinem denegaverit, vel quod educationem, quæ illi imputari nequit, habuerit malam, nec sit præceptis utilissimis, & saluberrimis ad omnem humanitatem instituta. Alius vero sub conditionibus & motivis alias similibus reperiat insignem personam, quæ una sit meta ejus votorum, cum qua cuncta vitæ gaudia, omnem beatitatem, cujus mortales capaces sunt, ob amabiles, & egregias ejus proprietates nanciscatur. Quis ex his duobus celerius, efficacius properabit ad metam? in quo prius, forte hætenus ingnota dona evolventur? Facilis est hic, & parata responsio.

Ille nimirum, qui optatum finem suorum desideriorum in possessione præstantis puellæ assequitur: Omnem iste movebit lapidem, & mirabilia aget, si ejus amor non consistit in solis venustæ formæ illecebris, aut niveo genarum rubore teneræ vir-

ginis, neque oritur tantum ex conspectu a-
mænorum ejus oculorum, sed si simul cum
admiratione cognoscat, eam multis aliis sui
sexus fœminis præclaris dotibus antecellere,
& hac de causa æstimationem cum intimo
amore conjungat; si cum voluptate obser-
vet eam & virtutibus, & rei familiaris ad-
ministrandæ non tantum peritia, sed etiam
diligentia esse instructam, si denique ex a-
mabili, pulchra, juvene conjuge jam pru-
dens Materfamilias, & optima mater eluce-
at. Statuite huic amore capto metam, qua
tantum attackta possit voti damnari, pro-
fecto acheronta movebit, dabit effectui, quæ
fieri posse negabantur.

E contrario quid ille efficiet, qui im-
perio duntaxat movetur? Huic certe de-
erit vegetabilis vis, quæ apud illum ger-
men cito ad maturitatem adduxit, tametsi
semper amor parentum, utpote etiam sti-
mulus naturalis plus operetur, quam illud
mandativum: Debes imperata facere! Quam
rem ut adhuc clarius intelligamus, institua-
tur sequens interrogatio: Quis horum du-
orum, usque dum iniverint matrimonium,
magis erit tutus ab evagationibus, & sic
dictis, minoribus infidelitatibus, illene, qui
amatam habet puellam, vel qui tantum
personam pro societate conjugali? Quam
bene hic conveniunt, & in uno subjecto
morantur Moralitas, & sensualitas, altera

alteri quam minime refragatur. O flamma tela cupidinis! Quo vos jaciunt frigida Philosophorum pectora? ideo vos nonnisi communis ingenii homines redditis beatos!

Biographia.

Fortuna. Filia Oceani, Dea credita ab antiquis, sua habuit templa & in Græcia, & in Italia, apud Prænestinos, & Antiates præcipue colebatur. Deam hanc Græci pingebant alis instructam, non item Romani. Pede uno insistit globo, vel rotæ, quod significat, illam tantum in levitate sua esse constantem; altera autem manu tenet cornu copiarum.

Publicandum.

Paulo Györgyl Alumnatui Filii sui Gabriellis in Academia Cæsareo-Regia Theresiana Viennensi renunciante, medio benigno-gratosi dd. 4. Sept. a. I. Nro. 19499 emanati Intimati committitur: quo Vacantia hæc ea cum inviacione illico publicetur; ut ii, qui pro hac recurrere voluerint, recursus suos, requisitis Testimoniis instructos, usque ultimam Septembris a. I. Excelso Consilio L. R. indilate submittant.
